

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2370

Auteur(s) : Innocent III [pape]

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1209

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Bulle du pape Innocent III pour l'abbaye de la Lucerne.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Prieuré de La Perrine, n° I, p. 1-3.

Texte établi d'après a

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Johanni ministro et fratribus Ordinis Sancte Trinitatis tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Operante patre luminum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum, qui solem suum oriri facit super bonos et malos etiam diebus nostris in quibus, peccatis exigentibus, abundat iniquitas et multorum charitas frigescit, nonnulli, faciente cum eis domino signum in bonum (unde, inter alia beneficia que nobis misericorditer impertitur, ad gratiarum actiones propensius invitamur) posteriorum obliti, ad anteriora cum apostolo se extendunt, et exuentes veterem hominem cum actibus suis, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, in vite transeunt novitatem, cum, relictis pro deo que possident et non que sua sunt sed que Jesu Christi querentes, voluntariam eligunt paupertatem et divine se subiciunt servituti; quorum desideriis tanto est propensius annuendum quanto per opera pietatis gratiorem prestant altissimo famulatum. Licet autem, secundum apostolum, neque cui plantat neque cui rigat sit aliquid, sed cui incrementum dat Deus, [.....]lantationem tamen vestram novellam Apostolice protectionis presidio dispo[.....]imus irrigare, quatenus, Deo prestante, misericorditer incrementum et fruct[.....]m proferat exoptatum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis [.....]ostulationibus clementer annuimus et prefatum Ordinem Sancte Trinitatis sub [.....]eati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio com[.....]unimus, statuentes ut quasunque possessiones, quecunque bona idem Ordo [.....]presentiarum juste ac canonice possidet aut in futurum, concessione, ponti[.....]cum, largitione Regum vel principum, oblatione fidelium, sive aliis justis [.....]odis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus [.....]illibata permaneant. Si quando vero loca deserta fuerint eidem venerabili [.....]rdini ab aliquo pia devotione collata, liceat vobis edificare villas, ecclesias, [.....]emetaria, ad opus hominum ibidem commorantium, fabricare, ita tamen ut [.....]li vicina abbatis vel religiosorum collegia non existant que hoc valeant per[.....]rbare. Sane novalium vestrorum que propriis manibus aut sumptibus colitis [.....]ive de nutrimentis animalium vestrorum, hortorum vel pomorum fructibus [.....]ullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat, liceat quoque vobis [.....]lericos vel laicos liberos et absolutos a seculo fugientes ad conversionem reci[.....]ere et eos, sine contradictione aliqua, retinere. Prohibemus insuper ut nulli [.....]atrum vestrorum, post factam in Ordine vestro professionem, fas sit absque [.....]inistri sui licentia, nisi ad arctiores religiones obtinendas, de eodem Ordine [.....]iscedere, discedentem vero, absque

communium litterarum cautione, nullus [.....]udeat retinere, chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu [.....]asilicarum vestrarum, ordinationes clericorum vestrorum qui ad sacros ordines [.....]uerint promovendi et cetera ecclesiastica sacramenta a diocesano suscipietis [.....]episcopo, si quidem catholicus fuerit et gratiam et communionem sacrosancte [.....]edis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate qualibet exhibere, alioquin [.....]iceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem apostolice sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulaveritis impendat. Cum autem generale interdictum terre fuerit, [.....]iceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare ; sepulturam vero locorum vestrorum liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumentur. Obeunte vero te ejusdem ordinis ministro, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, providerint eligendum. Paci et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica districtius inhibemus ut infra clausuram locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum Ordinem temere perturbare vel ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere vel quibuslibet vexationibus fatigare sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica justitia. Si igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere uti tentaverit, secundo tertiove monita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis sue careat dignitate reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena sit atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et sic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Datum Viterbii per manum Johannis Sancte Marie Cosmedi diaconi cardinalis, sancte romane ecclesie cancellarii, decimo quarto kalendas Julii, indictione secunda, Incarnationis Dominice anno millesimo ducentesimo nono, pontificatus vero domini Innocentii pape III anno decimo.